


## VENERABILES FRATRES.



QUAM bonum sit confidere in Domino, VENERABILES FRATRES, splendidissimum exhibit argumentum ea, quæ inter sœvientes procellas aura prodiit securior, ob quam repletum est gaudio os nostrum, & lingua nostra exultatione. *Justa enim & rationabilis est causa gaudendi*, ait Leo Magnus, *cum a Sacerdotibus Domini ea gesta cognoscimus, quæ & paternorum canonum regulis, & apostolicis congruunt institutis* (a). Magno munere Divinæ Misericordiæ multiplicata sunt gaudia totius Catholicæ Ecclesiæ: Quippe studio Venerabilis Fratris, Clementis Wenceslai, Archiepiscopi Trevirensis, & S. R. I. Principis Electoris, quem sine summa laude nominare non possumus, perniciosissimi errores extinti sunt, & in victoria veritatis dudum falsa dogmata perierunt. Non ignoratis plane, quæ & quanta intulerit damna Joannes Nicolaus Episcopus Myriophytanns, Ecclesiæ Trevirensis Suffraganeus, cum ab Anno Millesimo septingentesimo sexagesimo tertio, sub ementito Justini Febronii nomine, Libros edidit, quibus, ut impugnaret hujus S. Sedis Jura, veritus non est Ecclesiæ iplius Unitatem dissolvere (b). Modo idem Archiepiscopus pro Religionis ardore, quo incensus est, pro pastorali, qua maxime valet,

(a) *Epiſt. 36. part. Oper. Edit. Tyrnav. 1767.*

(b) *Libri Justini Febronii prohibiti fuerunt Decret. Congregat. Indicis  
27. Febr. 1764. 3. Febr. 1766, 24. Maii 1771, 29. Mart. 1773.*



G